



**Avgvstini Barbosæ, V. I. D. Lvsitani, Protonotarii
Apostolici, & sacrae Congregationis Indicis Consultoris,
Nvnc Electi Episcopi Vgentini, Tractatvs De Canonicis, Et
Dignitatibvs, Aliisque ...**

Barbosa, Agostinho

Lugduni, 1658

12 Canonica, & Præbenda in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis quæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98570)

et impluerint. Pro iis autē, quae superius scripta se adimplendis, & obseruandis praestitit utraque pars in nostris manibus super Sacra Euangelia iuramentum. Præterea actum fuit, ut si Burgen. Vimarani. in questione, quam dicunt se habere contra Archiepiscopum Bracharen. non potuerint per se vel per cōmunes amicos concordare, Prior, & Canonici Vimarani. sine offensa, Archiepiscopi iuuent cōsita tamen quod in causa ipsa aliquam malitiam non procurent; insuper de voluntate communi utraque partem ad hanc compositionem firmiter obseruandam penes praefatos iudices potestas cōtēdendi remansit. Facta fuit ista compositio apud Beneuentum in Ecclesia Sancti Petri sub Aera 1290. mensis Octobris. 10. Kalendis Nouembris, quae ut perpetuum robur obtineat eam sigillis nostris & Domini Archiepiscopi, Prioris, & Capitulorum suorum facimus communiri. Nulli ergo, &c. nostrae confirmationis infringere, vel ei, &c. usque, contraire. Si quis autem, &c. usque, incursum, &c. Dat. Lateran. 4. Idus Ianuarij, Pontif. nostri Anno secundo.

CAPVT XII.

Canonici, & Prabenda in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis quae?

SUMMARIUM.

- 1 Canonici est ius spirituale per quod quis habet non solum stallam in choro, & locum in Capitulo, sed etiam ius ad Prabendam, & facultatem actu percipiendi distributiones quotidianas.
- 2 Prabenda est spirituale ius recipiendi certos prouentus in Ecclesia competentes ex diuino Officio, cui praebeatus deseruit.
- 3 Prabenda proprie dicitur quando bona Ecclesiae sunt diuisa.
- 4 Canonica portio, seu distributio duplex est.
- 5 Prabenda dicitur à praebeo, quia praebeo redditus ad congruam sustentationem, vel à praedio, quasi sit quoddam praedium pro dote assignatum.
- 6 Prabendarum plures sunt species.
- 7 Prabenda sumpta largè pro ipso titulo beneficij, est ius percipiendi prouentus in Ecclesia ratione officij.
- 8 Prabenda interdum sumitur pro patrimo-

nio, & redditibus ipsius beneficij.

- 9 Canonici trahit ad se Prabendam, cum non possit esse sine Prabenda saltem diu.
- 10 Canonici est mater Prabenda.
- 11 Beneficij in impetratione non est opus facere mentionem de Prabenda illi annexa.
- 12 Prabenda unita, & accessoria dicitur quoque res spiritualis, & sequitur naturam principalis, quamuis in bonis temporalibus consistat.
- 13 Prabenda appellatione venit spiritualis, ubicunque agitur de collatione, vel de titulo conferendo.
- 14 Prabenda quandoque accipitur pro certa portione per se distincta nihil spiritualitatis habente, & laico conceditur pro labore temporali. Prabenda temporalis laico assignari potest. ibid.
- 15 Prabenda temporales quamuis sint plures, & habeantur in simul cum aliqua Dignitate, non inducunt incompatibilitatem.
- 16 Prabenda temporales possunt vendi sine aliqua labe simoniae, & permutari propria auctoritate.
- 17 Prabendam temporalem obtinentes non obligantur Horas Canonicas recitare.
- 18 Canonici, & Prabenda in quibus differant ostenditur.
- 19 Canonici est ius habendi sedem in choro ad cantandum, & legendum, ac vocem in Capitulo, proueniens ex electione seu receptione in fratrem.
- 20 Prabenda de se non habet sedem in choro, nec vocem in Capitulo.
- 21 Prabenda spiritualis est beneficium ecclesiasticum.
- 22 Canonici potest sine Prabenda creari, nisi statuto, aut consuetudine aliud caueatur.
- 23 Canonici supra numerum ad futuram Prabendam hodie erigi non potest.
- 24 Prabenda, & beneficium tanquam genus, & species distinguuntur.
- 25 Canonici, & Prabenda Canonici est quocunque alio beneficio praestantior, & honorabilior.
- 26 Beneficij appellatione in materia odiosa non venit Prabenda.
- 27 Beneficium quod vacaret in Cathedrali si concedat Papa, non comprehenditur Prabenda Canonici.
- 28 Canonici sibi impetrans an, & quando teneatur facere mentionem de Prabenda, ostenditur.
- 29 Prabenda, quae est annexa Canonici, & Canonico dari consuevit, si concessa sit, censetur & Canonici concessus non inire accessoris, sed connexitatis.



IN Canonici duo diuersa iura reperiuntur, Canonici scilicet, & Præbendæ; nam inter se differunt. Innoc. in c. ult. n. 1. circa finem, de Cleric. non resid. Abb. in cap. cum M. Ferrar. n. 31. de constitut. Rot. decis. 366. num. 4. p. 2. recentior. Canonici est ius spirituale, per quod quis habet non solum stallum in Choro, & locum, siue vocem in Capitulo, quæ sunt propriæ, & particulares prærogatiuæ Canonici, Seraphin. decis. 1474. num. 2. & Petr. Greg. Syntag. iuris p. 2. lib. 15. cap. 23. n. 12. Valenzuel. in defensione monitorij Pauli V. p. 4. n. 250. Vnde non solum ea, quæ sunt diuini Officij, necnon & Capitulares actus, si cætera requisita habeat, exercere potest, verum etiã ius ad Præbendam, & facultatem actu percipiendi distributiones quotidianas, habet nisi ignorantia cantus, vel quid simile obster, vt multis explicat Monet. de opt. Canon. cap. 7. q. 1. à num. 6. & in parte Azor. inst. moral. p. 2. lib. 3. cap. 11. q. 1. quod ius oritur ex receptione in fratrem, Seraph. d. decis. 474. num. 3. Rot. decis. 684. num. 3. p. 1. diuers. Quare secundum Hoied. de incompat. benef. p. 1. cap. 12. n. 1. & Lotter. de re benef. lib. 1. q. 19. num. 5. Canonizatus est ius habendi stallum & locum in Choro ad cantandum, ac vocem in Capitulo, proueniens ex electione & receptione in fratrem.

2 Præbenda verò est spirituale ius recipiendi certos prouentus in Ecclesia, cui præbendatus deferuit, competens ex Officio diuino tanquam vni de Collegio, gloss. verb. receperunt in cap. cum M. de constit. Card. in Clem. fin. q. 10. de Præbendis, Anton. Fabric. in praxi benef. tit. 5. de Præbend. num. 3. lib. 2. Hoied. de incompat. benef. p. 1. c. 12. sub n. 1. vers. at verò præbendas, Lotter. de re benef. lib. 1. q. 19. num. 17. Host. in sum. tit. de Prab. num. 28. Jacob. de Graff. in auris decis. part. 1. lib. 2. cap. 97. n. 9. Zech. de Republ. Eccles. cap. 24. de Canon. sub n. 2. Monet. d. cap. 7. quas. 1. num. 13. vbi dicit

3 † Præbendam esse ius spirituale oriens ex Canonici quoad ea, quæ spectant ad perceptionem fructuum, & prouentuum Ecclesiastici beneficii, sicut est colligere decimas, primitias, & oblationes competentes ex diuino Officio, cui insitit tanquam vnus de Collegio. Et propriè dicitur Præbenda quando bona Ecclesiæ sunt diuisa, c. ex parte, de concess. præb. sed quando sunt indiuisa, magis propriè dicitur portio, Innoc. in c. dilectus, de præb. Jacob. de Graff. d. n. 9. † quæ quidem Canonica portio, seu distributio duplex est; vna quæ pro victu conceditur seruientibus Ecclesiæ, & recitantibus diuinum Officium: altera quæ datur assistentibus tantum in Ecclesia, & ista potius dicitur portio Canonialis, quàm distributio quotidiana. Viu. commun. opin. 194. &

Barbos. de Canon. & Dignitatib.

195. Idid. Moscon. de maiest. milit. Eccles. lib. 1. p. 1. cap. 16. pag. 302. vers. Canonica.

Dicitur Præbenda à præbeo, quia præbet redditus ad congruam sustentationem, Bonifac. Vitalin. in Clem. fin. num. 38. vers. vnde dicitur, de præbend. Rot. decis. 26. num. 1. vers. præterea præbenda, de præbend. in nouis. Vnde Præbendati ab eo quod victus causa præbetur in Ecclesiis, dicuntur, Petr. Gregor. lib. 15. cap. 23. in princ. Vel dicitur à pretio, quod quis pro labore recipit, Card. in d. Clem. fin. num. 11. q. 11. Rot. decis. 33. sub num. 1. vers. dicitur à pretio, de rescript. in nouis. Ioan. Selua de benefic. parte 1. quas. 30. numero 17. Jacob. de Graff. d. par. 1. lib. 2. cap. 97. in fine. Anton. Fabric. d. tit. 5. de præbendis, numero 4. Vel forsan dici posset quod dicatur à prædio, quasi præbenda sit quoddam prædium ipsius beneficii pro eius dote sibi assignatum, sicut dicimus de beneficio vnito alteri accessorie quod sit quoddam prædium illius, Gonzal. d. gloss. 5. §. 1. à n. 20. Caputaq. decis. 329. p. 3. Anton. Fabric. vbi supra, n. 6.

Præbendarum plures sunt species, de quibus gloss. d. verb. receperint, in d. c. cum M. vbi Abb. numero 21. Felin. num. 3. Dec. num. 32. Mant. num. 26. & Ripa num. 70. vbi quinque refert, Hoied. de incompatibil. benefic. par. 1. cap. 12. num. 2. & 3. vbi ponit quinque modos præbendarum, Petr. Greg. d. lib. 15. c. 23. num. 7. Borrel. in sum. decis. tom. 1. tit. 29. num. 2. Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gloss. 5. §. 1. per tot. Aloyf. Ricc. in collect. decis. parte 4. collect. 749. Cardin. Tusch. tom. 6. litt. P. conclus. 469. Anton. Fabric. d. tit. 5. de præbend. n. 2. & 7. cum seqq. Agimus enim de Præbenda indistinctè sumpta; Canonialis enim vnica est, & ea perpetuò spiritualis, c. dilecto §. præterea, de præbend. Card. conf. 143. num. 1. Lotter. d. lib. 1. q. 19. n. 14. in princ.

In summa ad tres reduci solent Prima est illius, quæ sumitur pro ipso titulo beneficii; & sic largè pro omni beneficio, seu iure percipiendi prouentus in Ecclesia ratione officij, vt in rubricis de præbend. & de concess. præbend. Ita Felin. in cap. postulat, in 4. de rescript. Rot. decis. 62. eod. tit. in antiq. Selu. d. part. 1. q. 3. n. 9. & 17. Rebuff. super concord. rub. de collat. §. 1. verb. Canonizatum, & Præbendam, in fine, Petr. Greg. d. lib. 15. cap. 23. num. 9. Gonzal. d. gloss. 5. §. 1. n. 3. Nicol. Garc. de benef. parte 1. c. 1. n. 9. & in hoc sensu accepta venit semper, & vbiunque de ecclesiastico beneficio mentio habetur, arg. c. tua 31. de verbor. signif. ibi, Nos igitur auctoritate presentium declaramus, quod in hoc casu Præbenda, ac alia beneficia generali beneficiorum nomine continentur; & ideo illa non potest renunciari sine auctoritate Superioris, ac de illa in impetratione beneficii debet fieri mentio tanquam de vero titulo, & beneficio,

& de qualitate talis prae bendae faciendae est mentio in illius impetratione, & non potest permutari nisi cum alia re spirituali, ut de omnibus latè Gonz. d. §. 1. à n. 7. usque ad n. 13.

8 Secunda species est illius, quae sumitur pro patrimonio, & redditibus ipsius beneficii, & tunc dicitur accessio titulo Canonicae, & quaedam annexio rei spiritualis titulum, & canoniam sequens, c. maioribus, cap. relatum, cap. dilectio, de prae bend. Cassad. decis. 17. n. 4. sub cod. tit. Gig. de pension. q. 33. n. 2. Petr. Greg. d. lib. 15. c. 23. n. 12. Camill. Borrel. d. tit. 29. n. 5. Pute. decis. 169. lib. 2. in correctis, ubi dicit quod non ideo Praebendae videntur annexae Canonice, quod esset certus numerus Canonicorum, & Praebendarum; sed ex eo probatur annexio quod tituli una cum Praebendis mutarentur, vel praebendae essent tituli spirituales, & praebenda sic accessoria, & annexa titulo beneficii, non tanquam de per se, sed uti accessorium venit appellatione beneficii: nam eo ipso quod quis recipitur in Canonicum, debetur illi praebenda tanquam praedictum, & redditus Canonicatus, d. c. cum M. & ibi
9 gloss. verb. receperint, de constit. Gonz. d. §. 1. n. 16. Et Canonice trahit ad se praebendam, cum non possit esse sine praebenda saltem diu, cap. si quis obiecerit. 1. q. 3. d. cap. relatum. Ac sicut obligatio est mater actionis l. l. i. c. 42. §. ea obligatio ff. de procurat. & parit actionem, princip. Instit. de verb. oblig. Ita Canonica est mater Praebendae, & eam parit, ac se habet sicut mater ad filium, Host. in sum. tit. de prae bend. n. 1. Compofel. in d. c. cum M. col. 3. Guillelm. de Monte Lauduno, & Card. in Clem. fin. de prae ben. q. 10. Rot. decis. 111. de concess. prae ben. in antiq. & decis. 33. de rescript. in novis, Prob. ad Monach. in rub. de prae bend. lib. 6. n. 6. Franc. Marc. Delphin decis. 1272. n. 1. parte 1. Iacob. de Graff. d. par. 1. lib. 2. c. 97. n. 12. Gonz. d. §. 1. n. 16. & 17. Monet. de optione Canonice c. 7. q. 1. num. 4. Aloyf. Ricc. in collectan. decis. par. 4. collect. 749. in fine. Quod ut melius percipiatur, sciendum est quod alia est annexio perpetua, per quam scilicet ita additum est praedium praebendale certo Canonice, ut ab eo non possit diuelli, vel per momentum separari, quae est vera & propria annexio, veluti individuum constituens per incorporationem, l. quemadmodum C. de agric. & cens. lib. 11. Alciat. in l. soluendo 114. sub num. 5. vers. accessione, de verb. signif. Alia est annexio reuocabilis, quae bene se compatitur cum ipso iure optanti, & haec perpetuo haeret iuri spirituali respectu Canonice, quod colligitur ex correptione numeri, Abb. in c. maioribus num. 4. vers. quandoque, & in c. dilecto n. 6. de prae ben. ac propterea cadit sub dispositione Canonice tanquam quid illi perpetuo annexum, Varal. decis. 359. n. 1. p. 2. Lotter. d. lib. 1. q. 19. à n. 12.

Rota in Conchen. coadiutoria 27. Nouemb. 1619. coram Archiepiscopo Selecien. Unde fit, ut hoc casu in impetratione beneficii non opus sit facere mentionem de praebenda illi annexa, Staphil. de litteris gratia, tit. de qualitat. & statu beneficii, §. circa istam n. 2. Felin. in c. nosstra, corol. 33. n. 30. de rescript. Gonzal. §. 1. n. 24. de quo latius infra, n. 28.

Et huiusmodi Praebenda vnita, & accessoria, dicitur quoque res spiritualis; & sequitur naturam principalis, ut resoluit Gonzal. d. §. 1. n. 23. quamuis in bonis temporalibus consistat, quia est annexa Canonice, unde à digniori totum illud ius denominatur. d. c. relatum & d. c. dilectus il. de prae bend. Iacob. de Graff. d. 97. n. 10. in fine. censetur enim spiritualis quando est applicata Canonice, non habenti aliam praebendam, Rot. decis. 520. n. 2. p. 2. recentissim. in posthumis. Et ubicumque agitur de collatione, vel de titulo conferendo, appellatione Praebendae intelligitur semper de iure spirituali, unde quando Papa narrat vacare Praebendam, & illam confert, semper intelligitur de spirituali. Ita Zabarel. con. 126. num. 4. Card. Tusch. tom. 6. litt. p. concl. 465. n. 5. Gonzal. d. §. 1. in fin.

Tertia species est illius, quae accipitur pro certa portione per se distincta nihil spiritualitatis habente; velut pro quodam praedio, & commoditate temporali, de qua loquitur tex. in cap. penult. de Magist. & laico conceditur pro labore temporali, qualis est illa, quae conceditur symphoniacis, cymbalistae, Magistro musicae, organistae, Procuratoribus, Aduocato, Syndico, & similibus, gloss. d. verb. receperint in d. c. cum M. ubi Rip. d. n. 170. Roman. conf. 228. n. 8. Selu. de benef. p. 1. q. 7. num. 4. Duaren. de sacris Eccles. ministr. lib. 2. cap. 8. Nauar. in c. quando, de consec. dist. 1. notab. 7. num. 24. Iacob. de Graff. d. c. 97. n. 7. Pech. in reg. beneficium n. pen. de regulis iuris lib. 6. Petr. Greg. de re benef. c. 11. num. 15. cum seqq. Rebuff. in concord. tit. de collatione §. 10. vers. Canonice, & Praebendam in fine, Gonzal. d. §. 1. n. 6. & 26. Nicol. Garc. de benef. p. 1. c. 1. n. 8. Alex. Rauden. de analog. c. 6. n. 29. Lotter. de re benef. lib. 1. q. 19. n. 13. ubi quod hoc casu dicitur praebenda, sed non Canonice, & n. 14. quod temporalia ista non praebenda, sed praebendalia dicuntur, Sebast. Cels. in relect. de Eccles. hierarchia p. 3. disp. 12. §. 6. n. 26. Camil. Borrel. tom. 1. tit. 29. num. 4. Cum ergo huiusmodi Praebenda constituatur ex rebus temporalibus, vel stans per se non sit annexa Canonice, & sic rei spirituali, laico assignari potest, Cassad. 17. n. 4. de prae bend. Verall. decis. 356. n. 2. lib. 2. & decis. 237. n. 2. lib. 3. Ant. Fab. in suo Cod. lib. 1. tit. 11. definit. 2. n. 4. quos refert, & sequitur Borrel. d. tit. 29. num. 41. & Aloyf. Ricc. p. 6. collect. 2451. vers. unde.

Unde fit, ut istae Praebendae temporales, quamuis

quamvis sint plures, & habeantur insimul cum aliqua Dignitate, non inducant incompatibilitatem, Caputaq. *decis. 356. n. 3. par. 2.* dicens quod ideo una Monialis potest retinere quas, & tres præbendas sine dispensatione, refert, & sequitur Gonzal. d. §. 1. n. 27. † Et possunt vendi sine aliqua labe simoniæ, Caputaq. *dec. 237. n. 1. per tot. p. 2. & d. decis. 36. n. 6. Rot. decis. 265. n. 2. p. 2. divers. Suar. de relig. tom. 1. lib. 4. de simon. c. 24. n. 21.* Gonzal. d. §. 1. n. 28. & propria auctoritate uti res temporales permutari possunt, Card. in d. *Clemen. fin. sub num. 11. de præbend.* Gonzal. d. §. 1. n. 29. † Et illas obtinentes non tenentur Horas Canonicas recitare, Nau. *de horis Canon. c. 7. n. 26.* Stephan. Durant. *de ritibus Ecclesie lib. 3. cap. 22. num. 1.* Sebast. Cæf. d. §. 6. num. 29.

18 Ex quibus colligitur aliud esse Canoniam, & aliud Præbendam, vnamque ab altera non parum differre, quia † Canonica est ius habendi sedem in Choro ad cantandum, & legendum, ac vocem in Capitulo proveniens ex electione, seu receptione in fratrem, ut in c. in *Genesi.* & ibi *glos. verb. vel quasi, de elect. glos. in cap. relatum, & in cap. pro illorum, & in d. cap. dilectus il. 1. de præben. & ad verb. receperunt in d. cap. cum M. vbi Abb. num. 22. Felin. d. num. 13. & Rip. num. 170. glos. in pragmat. sanct. tit. de elect. cap. sicut §. quanta, verb. Ecclesia, & in tit. de collatione §. item censuit, verb. Præbendarum, Hoied. de incompatibil. benef. p. 1. c. 12. num. 1. Petr. Greg. de re benef. cap. 10. num. ult.*

20 Monet. *de opt. Canon. cap. 7. num. 6.* † Præbenda vero ex se non habet sedem in choro, nec vocem in Capitulo, & titulus Canonice est receptio in fratrem, titulus vero Præbende collatio, ut in cap. cum in Ecclesiis, de præben. in 6. Cardin. *cons. 103. Rip. lib. 2. responsorum c. 33. n. 4. & in d. c. cum M. num. 25.*

21 Differunt quoque Canoniam, & Præbendam: quia Præbenda spiritualis, est beneficium Ecclesiasticum, c. dilectus 19. de præben. ibi, ut receptus in Canonicum præbenda beneficio defraudetur, Lotter. *de re benef. lib. 1. q. 19. num. 7.* Canoniam vero de per se non est beneficium, ut in cap. fin. §. in illis, de concess. præben. lib. 6. & in c. in nostra 32. de rescript. ibi, aliquando in aliis recepti licet nondum in eis Ecclesiasticum beneficium sint assequuti: aperte enim de illis, qui ex vi mandati Apost. in Canonicos iam fuerunt recepti, & tamen clarè ait adhuc beneficium Ecclesiasticum assequutos non esse, ergo probat Canonicos, qui Præbendam non habent, beneficium Ecclesiasticum non habere, ut animaduertit ibi Abb. *notab. 2. Barbat. num. 28. & Felin. in princ. multis rationibus comprobat Rot. decis. 26. in princip. & per tot. de præben. in nouis, & post eam Anton. Fabric. de re benef. tit. de titulo, & institut. num. 9. 21. & 34. cum seqq.*

Ex dictis etiam refertur posse quem in Canonicum recipi sine Præbenda; nam olim Canonici erant absque vlllo Præbendarum distincto numero, ut testantur Ioan. Andr. Abb. Butr. & alij in d. cap. cum M. quos refert & sequitur Azor. *instit. moral. p. 2. lib. 3. c. 11. q. 1. in fine*, sed nullum ius habet cum re non sit, sed tantum nomine Canonicus, & in herba, ut vulgò dicitur, Zerol. *in praxi Episcop. p. 1. verb. beneficia, §. ad Dignitatem, vers. præbenda.* Azor. d. c. 11. q. 4. & 5. Sebast. Cæf. *in relect. de Ecclesiast. hierarchia disp. 12. §. 6. n. 50.* nisi consuetudine, aut statutis Ecclesiarum aliud caueatur, quia tunc receptus siue auctoritate, & consensu ipsorum Canonicorum, siue auctoritate Pape iura Canonici consequi debet, & nomine titulo, honore, & commodo Canonicus est, aliaque iura beneficia habet, ut bene Sebast. Cæf. sic necessariò intelligendus d. cap. 11. §. 6. n. 45. in multis enim Ecclesiis consuetudine introductum, ut plures homines in Canonicos admittantur, quibus deinde ordine quodam seruato, quæ vacuæ sunt præbendæ conferuntur, ut testatur Azor. d. lib. 3. c. 11. q. 6. in principio.

Olim quandoque in Canonicum extra numerum quis recipiebatur cum expectatione futura Præbendæ, ut ex multis luribus Decretalium, & Sexti videre licet; sed iam hodie id non licet ex decreto Concil. Trid. *sess. 24. de reform. cap. 19.* dum decernit S. Synodus mandata de prouidendo, & expectatiuas, & alias quacumque gratias ad vacaturam nemini amplius concedi, ex quo decreto censuit S. Congreg. non posse eligi Canoniam supra numerum ad futuram Præbendam, ut refert Gonzal. *ad reg. 8. Cancel. §. 1. proæm. num. 64. & 65.* Quamvis in Ecclesiis, vbi sunt instituti Canonici sine Præbenda, illam expectantes, qui dicuntur titulares, id non videatur sublatum ex dicto decreto, ut in sequenti declaratione. *An in Ecclesia Salamentina in qua extant 24 Canonici, quorum duo postremi Præbendæ expectant, consuetudo immemoralis hætenus obseruata, & à Pio VI. Motu proprio confirmata, & ex certa scientia, qua antequam vacet aliquis Canonicatus, cuius electio spectat ad Canonicos, eliguntur a Capitulo, precedente licentia Episcopi, duo, vel tres expectantes locum ultimi Canonici sine Præbenda vacaturum, ad quem iuxta gradum expectantis denuò à Capitulo eligitur vnus, & admittitur precedente approbatione & confirmatione Ordinarij, censeatur sublata ex Decreto Concilij cap. 19. sess. 24. de reform. Congregatio respondit hanc consuetudinem non comprehendì illo Decreto Concilij, refert Nicol. Garc. de benef. p. 6. c. 1. num. 5.*

Distinguitur tamen Præbenda, & beneficium tanquam genus, & species, quia beneficij appellatio complectitur omnes alios beneficiorum

ciorum titulos, ex quibus ratione officij spiritualis Clericis competit ius percipiendi redditus Ecclesiasticos iuxta beneficij definitionem, de qua Sebast. Medic. *de definit. p. 2. cap. 16.* Hoied. *de incompatibil. benef. in prafat. num. 2.* Gonzal. *ad reg. 8. Cancell. glos. 5. in princ. à num. 2.* At verò Præbenda spiritualis accipitur pro iure illo, quod competit Canonico ad percipiendas distributiones, & alios redditus Ecclesiasticos ratione sui Canonicatus, & ita intelligitur *tex. in cap. cum in Ecclesiis, de præbend. lib. 6.* quatenus Præbendam ponit tanquam quid diuersum à beneficio; nam beneficium posuit tanquam genus, Præbendam tanquam speciem quandam qualificatam, quod magis ostenditur ex *tex. in cap. tua 32. de verbor. signif. vbi dubitatur vtrum appellationem beneficij contineatur Præbenda, & responder Pontifex Præbendas, & alia maiora beneficia contineri; sic manifestè sentiens Præbendam esse quandam beneficij speciem ab aliis beneficiorum speciebus distinctam.*

- 25 At cum Canoniam, & Præbendam Canonicis quocunque alio beneficio præstantior sit, & honorabilior, *cap. statutum, in princip. de præbend. lib. 6.* Azor. *dicta part. 2. lib. 3. cap. 11.*
 26 *quest. 16. in princip. † ideo in materia odiosa non venit appellatione beneficij, vt resoluunt plures per me citati in tract. de appellatione verborum vtriusque iuris signific. appell. 32.*
 27 *n. 11 † Nec vbi concedit Pontifex ad petitionem rogantis beneficium, quod vacaret in Cathedrali, comprehenderetur Præbenda Canonialis, secundum Archid. in cap. alienationes 12. q. 2. & in cap. cum non de Sacerdotali, de præbend. lib. 6.* Felin. *in cap. in nostra, corol. 39. de rescript. Corraf. de benef. p. 1. cap. 5. n. 4.* Nicol. Garc. *de benef. p. 1. cap. 6. num. 61.* Etiam si fiat in litteris specialis mentio de Cathedrali, *cap. quamuis, de præbend. in 6.* Calderin. *conf. 31. eodem tit. Staphil. tit. de modo, & forma impetr. §. circa tertium, num. 6.* Selu. *de benef. p. 3. q. 12. qual. 2. 1. num. 38.* Franc. Marc. *decis. 525. q. 1.* Flamin. *Parif. de resignat. benef. lib. 10. quest. 2. num. 25.* Sebast. Cæf. *d. disp. 12. §. 6. ex num. 38.* vbi numero 42. limitat hoc non procedere in Ecclesia, in qua alia non sunt beneficia, nisi Præbenda.

- 28 Quæstio est dubia, an impetrans sibi Canonicatum teneatur in impetratione mentionem facere de Præbenda, ita quod si hoc tacitum fuerit, impetratio subreptitia censeatur? Quidam tenent absolute impetrantem non teneri commemorare Præbendam, siue illa distincta sit, siue vnita Canonicatui. Ita Petr. de Anchar. *in reg. accessorium col. 26. num. 14. vers. licet, de regul. iuris in 6.* cuius opinionem refert, & sequitur Dec. *in cap. cum adeo, col. 1. num. 2. de rescr. Selua d. p. 3. q. 13. vers. vi-*

gesima sexta qualitas: qui Canonicatus non potest esse sine Præbenda, licet Præbendatus possit esse sine Canoniam; Ioan. Corraf. *in paraph. Sacerdot. cap. 2. num. 9.* Francisc. Duaren. *de sacris Eccles. min. lib. 2. cap. 8.* Borrell. *d. tom. 1. tit. 29. num. 7.* Alij non pauciores existimant teneri nominare Præbendam, aliàs impetrationem minime carere vicio subreptionis, quia potest esse Canonicatus sine Præbenda, & vice versa Præbenda sine Canonicatu. Ita Rot. *decis. 2. vtrum si Canonicus, de præbend. in antiq. & decis. 33.* Quidam habens Canonicatum, de rescript. *in nouis, Camill. Borrell. d. tit. 29. num. 17.* Rebuff. *in concord. tit. de collat. §. 1. verb. Canon.* Aloyf. Ricc. *p. 6. collect. 2451. firmant in d. cap. cum adeo Panor. in 3. notab. Barbat. col. 3. num. 18.* Immol. *in 3. notab.* Ioan. de Anania *num. 1.* & Felin. *col. 1.* qui videntur loqui casu, quo Canonicatus sit distinctus à Præbenda; nam si simul sint annexi (vt in omnibus ferè Hispaniæ Ecclesiis sunt) puto appellatione Canonicatus, & è conuerso venire Præbendam, vt per Bald. *conf. 472. in causa Prioris numer. 4. vers. dubitabatur an si quis, lib. 2.* Ægid. Bellam. *conf. 34. n. 4. & 5. vers. puto quod non, Iacob. de Grass. d. cap. 97. num. 11.* Card. Tusch. *tom. 2. lit. C. concl. 29. num. 6.* vbi *num. 13.* ex Bald. *d. conf. 472. numero 3. lib. 2.* subdit appellatione Præbendæ non venire Canonicatum quando vtrumque exprimitur in litteris, nisi in Francia, vbi de consuetudine Canonici appellantur Præbendarij, & citat Ægid. Bellamer. *d. conf. 34. numero 7.* † Præbenda enim, quæ est annexa Canonicatui, & Canonico dari consuevit, si concessa sit, censetur & Canonicatus concessus non iure accessorij, sed iure connexitatis, Franc. Marc. *Delphin. decis. 134. n. 6. vol. 2.* Pute *decis. 201. lib. 2.* Surd. *decis. 199. num. 19.* Borrell. *d. tit. 29. numero 37.* vbi *num. 38.* post Pute. *d. decis. 201. numero 2.* & ait solam distinctionem Præbendarum, & Canonicatum non probare connexionem, sed esse necesse probare quod tituli vnà cum præbenda sunt spirituales, Aloyf. Ricc. *in collect. decis. p. 6. collect. 2451. vers. tertio quod præbenda.*

CAPVT XIII.

Dignitates, & Canonici ad Cathedralas, & Collegiatas Ecclesias qua etate, & qualitatibus eligendi?

SUMMARIUM.

1 Laici Canonici institui prohibentur.